



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta**

**Neuhusii Paderbornae, 1710**

Annus 1604.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29436**



tur, & cum præcipua Transylvania nobilitate occiditur.

Constantinopoli peste extinguitur Mahometes Turcarum Imperator, cum paulò ante suspicione infidiarum uxorem aquis, filium majorem laqueo suffocâisset.

In Belgio occumbit Fridericus Spinola Genuensis, maris illius Præfectus, dum Batavos Ostenda prohibere conatur. Ab Ambrosio Spinola, Friderici fratre, Ostenda arctius premitur.

Societas Jesu postliminio in Franciam reducitur, emendante suâ justitia Henrico, quod nimio aliorum studio peccatum fuerat. Cotonius præterea unus è Sociis in intimum pectus Regis admittitur, cui, fremente licet invidia, tam diu placuit, quàm diu vixit.

## Annus 1604.

**C**edit tandem post mensium 39. Obsidionem ardentissimam 21. Septembr. Ostenda virtuti Spinolæ; periêrunt in Urbe triennio ferro & morbis septuaginta duo hominum millia supra nongentos; Par, si non major, fuit cœsorum numerus in castris, sumptustales, quibus regna emissent



Hispani. Ostendam rependit Mauritius Insulâ Cassanda, Isendicâ, & Slusâ in Flandria. Albertus Archidux pacem inicit cum novo Rege Angliæ; cum eodem fœdus sancit Philippus Rex Hispaniæ. Summa fœderis, ut libera genti utrique commercia, & Anglus Hollandos non juvaret.

Pestum in Ungaria à Christianis ante bienniũ captum in Turcarũ redit potestatem;

Rex Persarum Babylonem & Ægyptum invadit, Turcas fundit, & Taurim Persarum olim regiam recipit.

Carolo Sueco ejusque hæredibus masculis, abdicato Sigismundi nepote, publico Ordinum Sueciæ decreto, Regnum confirmatur.

Ordo Sanctimonialium à Beata Virgine annunciatâ instituitur.

Flexiæ in Gallia assignavit PP. Soc. Jesu Palatium Ducum Vindocinensium pro Collegio Rex Henricus, decrevitque, ut in eodem, in quo fuisset natus, humaretur parte sui meliore, corde nimirum suo, & Regine Conjugis, illustri amoris testimonio erga innocentes.

ANNUS 1605.

**R**omæ 3. Martii vitam cum Laude & Fama